



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Peccatum originale causam esse reprobationis, recentiores arbitrantur. c.
3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Bassolis,
Corduba.*

Scotum sequuntur Bassolis in 1. d. 3. q. 1. art. 4. Corduba lib. 1. q. 56. opin. 5. & alij recentiores, & eandem feriem instantium constituunt: nisi quod Corduba in ea q. notatione 2. sentire videtur, in primo illo instanti ante opera Deum decreuisse, non quidem punire Iudam pœna sensus, sed ei beatitudinem denegare, in quo convenit cum aliquibus recentioribus, qui primam sententiam tradiderunt. Cæterum opinio Scoti, ut à nobis est explicata, multis etiam è Schola S. Tho. fit admodum plausibilis, quod eorum severitatem temperet, qui in prima opinione dicebant, Deum ante opera decreuisse, aliquos excludere à regno colorum. Nam multo tolerabilius est, asserere, in illo instanti circa illos negative se habuisse Deum, de qua re S. Tho. nihil expresse dixit. De parvulis vero Scotus aperte non loquitur, sed eodem modo sentire debet, atque de adultis.

In hac Scoti opinione quadam omnino vera, & amplectenda arbitror; alia vero, in bono sensu explicata, vera esse possunt: denique nonnulla falsa, ex quibus non omnia in hoc cap. refulgunt decreui. In primis verissimum est, & mihi plusquam probabile fit, Deum ante præiusta peccata neminem pœna sensus punire voluisse: neminem etiam ante præscientiam peccatorum fuisse æterno Dei consilio à beatitudine expulsum, id quod cap. 4. probabitur. Secundo ante præiusta peccata fuisse aliquam reprobationem, & repulsam à Deo præiustam, verum existimo. Sed an hæc sit dicenda reprobatio permissiva; tum etiam reprobationem, quam Scotus punitivam vocat, imo reprobationem à vita æterna fuisse ex eadem peccatorum præscientia, ibidem demonstrabimus. Tertio denique Deum se habuisse negative circa reprobos in illis duobus instantibus, falsum existimo, id quod sigillatim nunc paucis ostendam.

Est autem supponenda doctrina à nobis tradita disput. 79. ca. 3. nempe voluntatem Dei non posse omnino negative se habere circa ea, quæ in tempore non sunt futura, ut ibidem probatum est: sed ea, quæ non sunt futura, expresse voluisse Deum, ut non essent. Quare circa reprobos per illa varia instantia sic existimo voluntatem Dei se habuisse. In primo quidem instanti positive illis desideravit beatitudinem, sed affectu simplicis complacentiæ, quem circa omnes in universum habuit, ut disput. 89. cap. 9. notatum est. Eos autem excludere à regno eodem affectu simplici Deo displicuit, quia sicut ex se Deo omnibus desiderat beatitudinem, sic etiam quod ea careant, ei summopere displicet, nisi causa adsit, nempe peccatum. Sed quod attinet ad actum efficacem voluntatis in eo instanti negative se habuit Deus erga reprobos; primum quia tunc non voluit excludere à regno: nam si dicamus, tunc excludere voluisse, plura sequuntur absurde ut cap. 4. dicemus: tum etiam quia non voluit non excludere: si enim efficaciter voluisset non excludere, reuera beatitudinem consequerentur.

Neque vero contra hoc est id, quod loco citato diximus, videlicet Deum ab æterno non se habuisse negative circa ea, quæ in tempore non sunt futura, sed expresse voluisse ea non esse. Hoc enim non intelligitur de quovis signo, & instanti rationis, sed de vno, aut altero, ita ut nihil in tempore non futurum sit, quod non voluerit Deus

expresse non esse: & ita reprobos non consequi gloriam, Deus expresse ab æterno voluit; sed non in primo instanti, in quo nondum considerantur peccata, ob quæ solum voluit, ipsos à regno colorum excludere. Postquam ergo in tertio instanti præiudicavit peccata, iam deinceps in quarto expresse voluit, illis gloriam denegare. Id quod generatim asserendum est de iis rebus, quas Deus, voluit non esse, idque propter aliquam causam, seu occasionem, non enim intelligitur eas voluisse, antequam causam præficeret.

Quare id, quod Scotus affirmat de secundo instanti, in eo scilicet Deum se habuisse negative circa permissionem peccati, & negationem gratiæ, falsum est: nam, quamvis circa peccatum quatenus peccatum est, negative se habuerit Deus actu efficaci: quia neque voluit fieri, neque voluit non fieri; circa permissionem tamen, quæ est negatio gratiæ efficaciæ, non potuit negative se habere, ut iam à nobis probatum est loco superius allegato. Porro in eo instanti secundo positive, & expresse Deum voluisse negare gratiam congruam, siquidem ab æterno hanc erat voluntatem expresse habiturus, patet: quia ex se ipso negaturus erat gratiam non ex aliqua causa, sicut etiam in tempore ex se eam daturus est, quibus voluerit: ergo in eo instanti expresse voluit eam negare, quibus de facto negavit: sicut dare voluit quibus daturus erat: nec opus est expectare aliud signum rationis, in quo deus habet hanc voluntatem. De gloria tamen eadem proportionem dicendum est, nempe in eodem instanti, scilicet post præiusta opera, quibusdam voluisse illam dare, aliis vero eam negare: quia utrumque decretum circa gloriam ex operum præscientia pendet, & ita in primo instanti, in quo consideramus Deum solum ex se voluisse, quod attinet ad actum efficacem, negative se habuit circa gloriam, aut conferendam in tempore, aut denegandam: & ad aliud sequens signum rationis decretum utriusque remittimus, quia utrumque ex operibus præiustis pendet, ut notatum est, opera autem in illo primo rationis signo nondum videntur.

CAPUT III.

Peccatum originale causam esse reprobationis, recentiores arbitrantur.

Tertio nonnulli consent, ut referunt Catherinus, & Ioannes à Bononia, reprobationis adultorum dari causam, eamque esse peccatum originale in vnoquoque contractum, connumerant autem inter effectus reprobationis permissionem cadendi in peccatum actuale, huius vero sufficiens causa est originale peccatum, in cuius pœnam denegantur omnia auxilia gratiæ, quæcunque non conceduntur. Referunt in hanc sententiam VValdensem tom. 1. l. 1. p. 11. l. 1. cap. 17. ubi quidem non de causa reprobationis, sed de scientiæ diuinæ immutabilitate disputat. Sed hanc sententiam expresse tradidit S. Thom. q. 6. de veritate a. 2. ad 9. & in cap. 8. epistol. ad Rom. lect. 3. & 4. Nec obstat id, quod dixit in hac q. ar. 5. ad 3. & propria sententia allegavimus, utrumque enim verum esse potest, & quod non detur causa, quare hic potius reproberetur, ille vero prædestinaretur: quia non est causa peculiaris huius diuisionis: sicut docuit

In primo instanti placuit Deo affectu simplicis gloria etiam reproborum.

Actu efficaci negative se habuisse.

Dubitatio soluitur.

docuit articulo. 5. & quod detur causa sufficiens, & communis, ob quam iure reprobetur, quicunque reprobat, peccatum scilicet originale, ut docuit aliis in locis. De paruulis vero asserunt reprobationis ipsorum idem peccatum esse causam, atque adeo tanquam effectus huius reprobationis solum recenserent penam, & supplicium. Iuxta hanc sententiam seriem infantium in mente Dei ita constituunt. In primo vidit Deus primum hominem cum tota sua posteritate lapsum in peccatum. In secunda decreuit adhibere remedium per Christi incarnationem. Tertio ex hominibus perditis in eadem massa quibusdam voluit efficaciter dare vitam eternam, alios vero excludere a regno, relinquens eos in massa perditionis, in qua erant. Hinc etiam permisit adultos in peccata actualia prolabi, & in finem in eis perseverare. Cetera autem instantia facile deinde assignari poterunt. Hoc pacto optime defendunt hi Doctores, reprobationem esse actum iustitiæ, qui natura sua postulat peccatum, & meritum penæ. Quid vero de Angelorum reprobatione sentiant, paulo post dicemus.

Probant autem in primis ex Aug. multis in locis præsertim epist. 105. circa finem, epist. 106. in Enchirid. cap. 57. de prædestin. Sanctior. cap. 14. ubi affirmat, Deum in misericordia sua quosdam de massa perditionis per prædestinationem liberales, quosdam vero, iusto iudicio in ea reliquisse: supponit igitur August. omnes simul in eadem massa perditionis fuisse, antequam vel prædestinarentur, vel probarentur à Deo, hæc autem fuit commune peccatum, ergo illud potuit esse causa sufficiens reprobationis. Deinde confirmant rationem, quæ in schola Doctoris Angelici magnam vim habet, quoniam Christus prædestinatus est occasione peccati primi parentis: ergo ante eius prædestinationem omnes erant sub communi debito, & morte peccati; Christi autem prædestinatio præcessit nostram ac proinde reprobationem quoque damnatorum: ergo peccatum originale potuit esse communis causa reprobationis. Quocirca non eodem modo de reprobatione Daemonum atque hominum loquuntur: nam Demones nullam huiusmodi causam suæ reprobationis habere potuerunt. De illis ergo asserunt cum Doctoribus primæ sententiæ ante omne peccatum præuisum fuisse reprobatos, & exclusos à regno celorum, & permisos in peccatum.

Hæc opinio, quatenus cum prima conuenit, eodem modo est à nobis inferius impugnanda. An vero in eo quod asserit, causam reprobationis hominum fuisse peccatum originale, vera sit, ibidem explicabitur. Cæterum id, quod in ratione supponit, nempe peccatum originale in vnoquoque contractum, præuisum fuisse ante nostram, & Christi prædestinationem, manifeste falsum est. Inde enim sequeretur B. Virginem non solum contraxisse peccatum originale, & cum eo fuisse præuisam; verum etiam non potuisse per Christum ab eo præseruari. Nam si ante Christi prædestinationem omnes fuerunt præuisi cum peccato originali nascituri, meritum Christi nihil illis potuit prodesse, ut ab eo præseruarentur, siquidem prior esset præseruatio si alicui concederetur, quam Christi meritum. Sola igitur gratia Dei absque vilo merito Christi præuiso potuit præuenire Virginem, ne peccatum originale contraheret,

quod est absurdum: cum omnes fateantur, quamcumque gratiam collatam posteris Adæ, & B. Virgini, fuisse gratiam redemptionis ex meritis Christi, ut contra Dried. disput. præced. cap. 4. obseruauimus.

Respondent aduersarij, B. Virginem ordine intentionis præuisam fuisse cum peccato originali, liberam tamen ordine executionis. Verum differentia ordinis intentionis, & executionis, quæ à Doctoribus solet assignari, præsentis difficultati nullo modo accommodari potest. Ea enim est, ut id, quod in executione reuera posterius futurum est, in intentione sit prius: hoc est, prius de illo homo consulat, & deliberet & voluntate decernat, sicut à nobis explicatum est disp. 89. cap. 7. at vero ea, quæ nullo modo reipsa futura sunt, non poterunt esse priora, aut posteriora in intentione, & executione. Quocirca, si B. Virgo nullo modo nascitura erat in peccato originali, sequitur nec prius in intentione, nec posterius, in eo fuisse præuisam.

Deinde eandem sententiam oppugnant Catherinus, & Ioannes à Bononia in opusculis de prædestinatione hoc modo, peccatum originale in vnoquoque contractum reipsa non fuit causa, ut multi damnati beatitudinem non consequerentur; multi enim ab originali peccato iustificati sunt: illud ergo ad eorum damnationem nihil potuit operari, non solum ut propter illud negaretur illa gloria, sed neque etiam gratia, originale enim semel remissum non potuit relinquere dignum subiectum, ut gratia aut gloria priuaretur. Commodius sane assereretur causa reprobationis peccatum primi parentis in ipso solum præuisum, & nondum in posteros derivatum, quatenus ex se aptum, & dignum erat, totam posteritatem inficere: nam quamuis in primo parente penitentia fuerit deletum quoad culpam, maculam, & penam ipsius debita: mansit tamen debitum carenti gratia in tota posteritate, quod Christus merito suo quoad sufficientiam condigne compensauit, licet multi de facto propter illud caruerint gratia congruæ vocationis, atque permissi labi in peccatum damnati fuerint. Sed quo pacto, & in quo sensu hoc peccatum Adami potuerit esse causa reprobationis, inferius dicitur.

CAPVT IIII.

Notationes quadam pro explicatione verioris sententiæ.

Am vero, ut probabilior sententiam, tam de modo loquendi, quam de reipsa explicemus, quatuor præmittenda sunt, ex quibus tria ad rem ipsam, quartum vero ad vocabula spectat. Primum est ex parte eius, qui labitur in primum peccatum actuale cum ab originali iustificatus est, nullam esse causam illius primæ permissionis, id quod ita certum existimo, sicut illud, quod de prima vocatione ex mente Aug. & aliorum disp. 91. dictum est. Itaque sicut primæ vocationis nulla datur causa, ita neque permissionis in eo, qui permittitur, postquam ab originali iustificatus est. Verum apud Massilienses, & Græcos Patres, cum quibus August. de prima vocatione multum contendit, non est hoc admodum certum. Nam tamen si nullo modo asserere possent, ante primam per-